

riæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum (*libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem*), sed timui ne honorem Dei transferrem ad hominem, etc. Ex quibus verbis patet, quod non tam propter Amanum, vel ejus progeniem quam propter qualitatem cultus, ab Amano requisiti, adorare noluerit.

Præterea lex Deuter. XXV agit de filiis Israel, pacifice habitantibus in terra promissionis, ne scilicet conjungerentur Amalecitis. Jamvero tempore illo, quo contigit historia Esther, Israelitæ erant in terra aliena, et a manu Aman pendebat eorum plena ruina; adeoque non est verisimile quod propter illam Deuteronomii legem voluisset se suosque omnes præsentem exponere exitio Mardocheus, negando adorationem politicam seu civilem, quæ consistit in reverentia externa, qua recognoscitur alicujus dignitas aut principatus: nam paratus erat osculari vestigia pedum ejus, si hoc pro salute gentis judaicæ necessarium fuisset; et consequenter multo facilius voluisset eum transeuntem adorare, si cultum aut adorationem duntaxat civilem petiisset. Quare

Resp. et dico: Ideo negavit Mardocheus adorationem, quia divinam seu patriæ petebat superbissimus Aman. Patet hoc ex præcitatis Mardochei verbis, cap. XIII. Porro quod Persarum reges divinos sibi honores deferri voluerint, manifestissimum est ex ipsis gentilibus historicis. Docet enim id Socrates in Panegyrico; Strabo lib. X; Seneca lib. III de Benefic., cap. 12; Curtius lib. V et VIII, apud quem Cleo Siculus: *Persæ, ait, non pie solum, sed etiam prudenter, reges suos inter deos colunt*. Pacatus in Panegyrico ad Theodosium, Rex, ait, *Persidis dignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem*. His accedit Rupertus Abbas, qui lib. VIII de Victoria Verbi, cap. 6 et 8, de hac historia, ita scribit: *Stulta exaltatio jubere hominem adorari, quod soli debetur Deo. Regibus tamen Persarum de more fiebat adoratio, quod superbiæ regis Persicum exemplum imitatus Alexander Magnus, aliquandiu quidem sustulit; sed tandem ubi invidiam se superasse existimavit, non salutari, sed adorari se jussit*. Quia igitur similem honorem et adorationem prætendebat impius et superbissimus Aman, merito sese opposuit Mardocheus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Judæi alii adorabant transeuntem Aman: atqui non est verisimile quod omnes alii fuissent idololatæ; ergo Aman non videtur petivisse adorationem patriæ.

R. neg. maj. Neque enim legitur de eorum adoratione aliquid; et præceptum regis tantum urgebat pro aulicis, inter quos ex Judæis solus invenitur Mardocheus. Interim tamen transmissa majore, et concessa minore, nego consequentiam: quia Judæi alii simplicitate et inscitia apprehendere poterant, quod cultum tantum politicum prætenderet Aman; adeoque et licite illum exhibebant. Mardocheus vero sciens, ipsum velle per externum istum cultum adorari ut Deum, eundem ipsi denegare debuit.

Obj. II. Si honores divinos ambirent reges Persa-

rum, clare sequitur quod non fuerit divinus quem sibi prætendebat exhiberi Aman.

Probat sequela: quia Aman et minor erat rege, nec æqualem regi volebat sibi deferri honorem, sed minorem; adeoque nec divinum.

R. negando sequelam: quia in Gentilium superstitione dii erant majores et minores. Tam majoribus quam minoribus cultum volebant delatum, disparem quidem, divinum tamen, ut ipsi apprehendebant. Aman proinde, licet fortassis minorem se rege fateatur (neque enim hoc certum est, cum *superbissimus* vocetur), potuit sibi petere honorem divinum, tanquam Deo delatum, minori quidem rege, sed majori homine.

Inst. Vocatus a rege Aman, cap. VI hujus libri, putans summum sibi a rege deferendum esse honorem, sic respondit *ÿ. 7 et seq.*: *Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regis, et imponi super equum, qui de sella regis est; et accipere regium diadema super caput suum, et primus de regis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens, clamet et dicat: Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*. In illis verbis Aman fatetur primo, se esse hominem, adeoque non Deum. 2. Non petit sibi extrui templum, vel altare. 3. Totum, quod sibi putabat impendendum, postea impensum est Mardocheo, qui admittendo hunc cultum non peccavit; ergo Aman non petivit cultum aliquem patriæ, sed civilem tantum et politicum.

R. neg. conseq.: quia Persæ et Gentiles alii multi putabant se esse tantum deos terrestres, sive homines in numerum deorum relatos, eo ipso, quo regio vel quasi regio honore sublimabantur. Hinc et cultu divino coli volebant, non in templis, quia cultum in templis apprehendebant competere solis diis cælestibus, sive ipsis, quando post mortem ex diis terræ, ut putabant, transferendi erant in deos cælestes. Unde nec mirum, quod Aman non petiverit sibi extrui templum, aut altare. Inter Mardocheum autem et Amanum longa est disparitas: quia Mardocheus cultum illum externum tantum apprehendit, et sibi exhiberi permisit, tanquam mere civilem ac politicum; Aman vero non contentus fuit cultu exteriori civili, sed interne, ut deus, minor Assuero, coli voluit. Quod cum sciret Mardocheus, licite cultum illum ei impendere non potuit.

Obj. III. Persæ adoraverunt reges suos, quia censuerunt ipsos esse Dei imagines, ut patet ex Artabano, qui apud Plutarchum in Themistocle, dicit, quod Persæ adorent regem, non ut Deum, sed tanquam Dei omnia conservantis imaginem: atqui hoc est licitum, nec pertinet ad idololatriam; ergo, etc.

Prob. min. Etiam in Scriptura sacra illi, qui regnant et imperant, dii vocantur; quia ob imperium quædam Dei imago sunt. Et sic Psal. LXXXI, 6, habetur: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*. Præterea ipsius Dei honor est, si propter ipsum ejus imagines, quales sunt in terrenis reges, in spiritualibus pontifices, episcopi et sacerdotes, honorentur et colantur.

R. disting. maj. Persæ adoraverunt reges suos, quia censuerunt ipsos Dei imagines, ita tamen ut simul deos censerent; concedo maj. Ita ut divinam regibus excellentiam negarent; nego majorem. Et conformiter distincta minore, nego conseq. Ad textum autem ex Psal. LXXXI allatum dico, quod per similitudinem quædam aliqui in Scriptura quidem vocentur dii, sed ita tamen ut nihil de natura deitatis ipsis tribuatur. Secus vero faciebant Persæ, qui non nudas imagines Dei apprehendebant esse suos reges, sed imagines cum re; id est, vere deos. Quoad Artabanum dici potest, quod ipse, utpote aliis sapientior, cum paucis sibi similibus damnatissimam Persarum superstitionem sic interpretando voluerit excusare, quamvis a parte rei vulgus Persarum communiter vere deos putaverit reges, et primos aulae proceres deos regibus minores.

Obj. IV. Ex jam dictis sequitur quod idololatæ fuerint Esdras, Nehemias, Esther, imo et ipse Mardocheus. Atqui tamen hæc sequela admitti nequit; ergo, etc.

Probat sequela. Ipsi adoraverunt reges Persarum, ipsi familiariter cum illis egerunt, etc. Atqui juxta statim dicta adoratio regum Persarum erat cultus patriæ; ergo ipsi idololatæ fuerunt.

S. Thomas secunda secundæ, q. 84, a. 1, ad 1, respondens ad simile argumentum, dicit: *Secundum reverentiam quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David. Secundum autem reverentiam quæ debetur Deo, Mardocheus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, ut dicitur Esther XIII. Et similiter secundum reverentiam debitam creaturæ excellenti Abraham adoravit angelos, et etiam Josue, ut legitur Josue V... secundum autem reverentiam quæ debetur Deo, prohibitus est Joannes angelum adorare, Apoc. ult. tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut angelis æquetur: unde ibi subditur: «Conservus tuus sum, et fratrum tuorum:» Tum etiam ad excludendum idololatriæ occasionem, unde subditur: «Deum adora.» Conformiter ad hanc S. Thomæ doctrinam*

R. negando sequelam, et ad probationem distinguo maj. Ipsi adoraverunt reges Persarum cultu civili; concedo: religioso et cultu patriæ; nego majorem. Similiter distinguo min. Adoratio quæcumque, et quorumcumque, erat cultus patriæ; nego: adoratio aliquorum, et aliquo tempore erat cultus patriæ; concedo minorem. Dicendum ergo, quod promiscue adoratio regum Persarum, publice exeuntium, vel in pleno regni solio residentium, existimata fuerit ut adoratio alicujus dei: privata vero adoratio in mensa, convivio aut aliis functionibus domesticis tantum erat civilis. Et vero licet promiscue se Persarum reges tanquam deos jactarent; tamen hoc dici non posse videtur de Assuero, qui ex magna parte sciebat potentiam Dei Israel. Unde quod populus juxta consuetudinem patriæ eum publice egredientem forte ut Deum adoraverit, non provenit ex parte regis, qui se non esse Deum noverat, sed ex consuetudine de-

pravata. Quare licet cultus exterior et populi et Mardochei ac etiam Estheris essent similes; intentio tamen et cultus interior, ac etiam circumstantiæ, in quibus ipsi regem honorabant, erant dispares. A populo exhibebatur cultus, ut rex recognosceretur tanquam Deus; a Mardocheo, Esthere, Esdra ac Nehemia solummodo fiebat, ut reverentiam ei exhiberent, tanquam regi potentissimo. Et consequenter ipsi non fuerunt idololatæ.

QUÆSTIO IV. — QUANDONAM AUT SUB QUO REGE CONTIGERIT HISTORIA ESTHER.

In hac quæstione rursus multum inter se variant ac discrepant chronologi, et S. Scripturæ interpretes, eo quod varie disceptetur quis fuerit ille rex Assuerus, qui sibi desponsavit Estherem. Porro antequam circa hanc quæstionem mentem nostram declarem, nonnulla pro clariori intelligentia præmittenda sunt. Sit igitur

§ I. — QUEDAM PRÆMITTUNTUR.

Sunt aliqui qui volunt historiam Esther contigisse ante solutionem captivitatis babilonicæ, et hi dicunt, Assuerum, Estheris maritum, fuisse vel patrem Darii Medi, de quo Daniel. IX, vel ipsum Darium Medum; et alterutram horum putat tenendum Melchior Canus lib. XI de locis theologicis. Alii, qui existimant historiam Esther contigisse post solutam captivitatem babilonicam, inter se iterum dividuntur. Aliqui putant, jam memoratum Assuerum fuisse Cambysen, alii Darium Hystaspem, alii Xerxem Darii filium, alii Artaxerxem Longimanum, a longiori manu sic dictum, alii Artaxerxem Mnemon, a memoria, qua præcallebat, ita vocatum, alii Artaxerxem Ochum. Hæc est autem chronologia regum Persarum, circa quos movetur præsens controversia. Post Cyrum regnavit Cambyses ejus filius annis 7 et mensibus 5, quem secutus est mensibus 7 Smerdes Magus, quo occiso ex principum compromise inauguratione regnavit Darius Hystaspis annis 36, cui successit Xerxes filius, qui, quot annis regnaverit, non convenit inter chronologos. Xerxi successit Artaxerxes Longimanus annis 40, quem secuti sunt Xerxes filius diebus 45, Sogdianus Spurius Longimani mensibus 6 et diebus 20. Postea imperium tenuit Darius Nothus annis 19, quem sequitur Artaxerxes Mnemon annis 45, post quem regnavit Artaxerxes Ochus annis 25, et post hunc Arses annis 3, Persarum imperium clausit Darius Codomanus, cujus anno septimo victor orbis Alexander Magnus monarchiam totam in Macedones transtulit. Ex his omnibus oportet unum eligere, qui ultra duodecim annos regnavit: nam quod Assuerus iste, qui fuit maritus Esther, ultra duodecim annos regnaverit, eruitur ex cap. III hujus libri *ÿ. 7.*

§ II. — QUID CENSENDUM DE QUIBUSDAM SENTENTIIIS SUPRA RELATIS.

Resp. et dico 1: Historia Esther non contigit ante solutam captivitatem babilonicam; et consequenter

maritus Esther non fuit pater Darii Medi, aut etiam ipse Darius Medus.

Prob. I. Quia maritus Esther passim dicitur Artaxerxes, quod nomen Medis non convenit, cum sit proprium regum Persarum.

Prob. II. Quia maritus Esther regnabat ab India usque ad Æthiopiā, ut dicitur cap. I. Atqui reges Medorum ante solutam captivitatem babilonicā, seu ante tempora Cyri, tam amplum imperium non possederunt; ergo, etc.

Prob. min. Quia etsi ante solutam captivitatem majus esset Medorum quam Persarum regnum, ut refert S. Hieron. in cap. V Danielis; non tamen erat regnum illud Medorum tam amplum, quam postea fuit monarchia Persarum, sive regnum Assueri mariti Esther.

Prob. III. Maritus Esther se et Persam et Persarum regem diserte vocat, infra, cap. XVI. At Assuerus, de quo agitur Daniel. IX, de semine Medorum erat; ergo ille non fuit maritus Esther.

Prob. IV. Maritus Esther regnum suum a Deo Hebræorum se accepisse cognoscit mox citato cap. XVI. Postquam enim ibidem, γ. 16, Judæos filios Altissimi vocasset, subjungit: *Cujus beneficio et patribus nostris, et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur.* Atqui de regibus Medorum nusquam legitur, quod cognoverint, se accepisse regnum a Deo Hebræorum, sed id solum legitur de regibus Persarum, nempe de Cyro et posteris ejus. Nam I Esdræ I Cyrus dicit: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli. Et rursus ibidem, cap. VI et VII, leguntur epistolæ Darii Hystaspis et Artaxerxis regum Persarum, in quibus Deum Hebræorum hi reges agnoscunt; ergo Assuerus, maritus Esther, non fuit unus e numero regum Medorum, qui regnarunt ante solutam captivitatem babilonicā: sed fuit e numero regum Persarum, qui post solutam captivitatem imperarunt.*

Prob. V. Maritus Esther Susis regiam suam habebat, ut patet ex cap. I. Atqui Susi non erant Medorum regia, sed Persarum, uti scribunt Solinus, cap. 59, Diodorus lib. II, et Plutarchus in Artaxerxe; ergo Assuerus non fuit Medus, sed Persa.

Dico 2: Historia Esther non contigit sub Cambyse. Probatur. Cambyse per totum tempus regni sui alieno fuit a Judæis animo et Jerosolymitani templi fabricam, permittente ac fovente Cyro, jam inceptam, prohibuit, ut patet ex lib. I Esdræ IV. Assuerus vero, maritus Esther, post detectam fraudem Amani, benevolentiam in Judæos specialem testatus est, ut liquet ex historia hujus libri.

Præterea Cambyse in toto tantum regnavit annis 7 et mensibus 5. Et tamen hoc libro, cap. III, 7, dicitur: *Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam.* Adeoque Assuerus, de quo hic agitur, ad minimum vixisse debet 12 annis in regno, quod non competit Cambysi. Ex quibus collige, quod Cyrus quoque non potuerit esse maritus Esther: quia ille quoque tanquam supremus Asiæ monarcha tantum regnavit septem annis; adeoque non potuit anno duodecimo

regni facere quod scribitur in hoc libro, cap. III, 9. Dico 5: Non potuit etiam Xerxes, Darii Hystaspis filius, esse maritus Estheris. Probatur. Amestris, uxor Xerxis, quam Scaliger Estherem putat, non habet characteres Estheris: Nam ejus pater Otanes ab Herodoto, Onophas a Ctesia dictus, in exercitu Xerxis dux belli fuit, ut habet Herodotus, lib. VII. Pater autem Estheris Judæus fuit, et Assuero ignotus, apud quem alias nec genus nec patriam dissimulare potuisset Esther. Præterea Esther sanctissima fuit et modestissima, Amestris vero impia et crudelissima, cujus barbarum facinus in uxorem Masistis commissum narrat Herodotus, lib. IX, cap. 107. Cum enim hanc a Xerxe suo judicio subditam accepisset, ubera ei absceidit, atque in ejus conspectu canibus voranda abjecit; mox naso, auribus, labiis et lingua mutilatam, domum ad virum remisit. Quatuordecim etiam illustrissimorum Persarum filios vivos in terram defodit, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur, inquit idem Herodotus, libro citato, c. 114. Absit autem ut simile quid de sanctissima Esthere cogitetur.

Ulterius, Xerxes, ut testantur historici tam sacri quam profani, magnam vitæ partem in bellis transiegit, et a Græcis superatus, turpi fuga atque ignominia laboravit. Hæc autem non conveniunt marito Esther, utpote qui in hoc libro tanquam potens monarcha describitur.

Dico 4: Assuerus maritus Estheris non fuit Artaxerxes Longimanus. Probatur. Assuerus iste in initio regni sui dominabatur 127 provinciis. Atqui hoc non potest dici de Artaxerxe Longimano; ergo, etc.

Prob. min. Xerxes, pater Longimani, multas ex his provinciis perdidit, ut refert Justinus lib. III, c. 1: nec legitur eas recuperasse; adeoque regnare ipse non potuit, et quidem in initio regni sui, super 127 provincias.

Dices: Licet Artaxerxes Longimanus in initio regni sui non regnaverit super 127 provincias; potuit tamen in decursu regni sui tam vastum habere imperium: nam ut ex sacris et profanis historicis scribit Sallianus ad annum mundi 3596, hoc anno superavit Ægyptios et Græcos, et deinde semper felices habuit successus. Nec refert quod cap. I. Esth. dicitur: *In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiā, super centum viginti septem provincias;* quia ad hoc verificandum non requiritur ut ab initio regni sui regnaverit super 127 provincias, sed sufficit quod in vita sua tot provinciis imperaverit.

R. neg. assumpt. : nam etsi omnia illa admitterentur, quæ in favorem suæ opinionis affert Sallianus, tamen inde nequaquam probari potest quod omnes provincias, a Dario Hystaspe antea possessas (scilicet ab India usque Æthiopiā) et postea partim amissas, recuperaverit Artaxerxes Longimanus; et consequenter non satis fundate asseritur quod in decursu regni sui tam vastum habuerit imperium. Insuper verum non est quod ad verificandum verba

Scripturæ sufficiat quod in decursu regni tot provinciis imperaverit. Siquidem Scriptura hoc libro cap. I satis clare insinuat quod Assuerus ille, qui fuit maritus Esther, in initio regni sui omnibus istis provinciis imperaverit; ait enim γ. 3 et 4: *Tertio anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentie suæ.* Etenim ex his verbis clarum videtur quod in initio regni sui mox memoratas provincias sub dominio suo habuerit: nam alias præfectis istarum provinciarum grande illud convivium facere non potuisset, nec etiam ostendere divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentie suæ. Dicunt quoque nonnulli, reges etiam amissorum regnorum titulos sibi vindicare et retinere, in qua jus se habere contendunt. Ergo Artaxerxes potuit dici imperasse 127 provinciis: nam licet Xerxes multas ex iis perdidisset; tamen ipse titulum earumdem sibi vindicare et retinere potuit.

R. hanc responsionem nullo modo subsistere: Nam quamvis verum sit quod reges amissorum regnorum titulos sibi vindicent et retineant; tamen nullo modo verum est, et consequenter ineptissime dicitur, quod istis regnis imperent; et ideo nemo dicit hanc, v. g., propositionem esse veram: Hic vel iste rex catholicus regnat super provinciam Jerosolymitanam, quamvis regis Jerosolymorum titulum retineat. Ergo similiter Scriptura ineptissime dixisset quod Assuerus regnasset super 127 provincias, si solummodo aliquas sub dominio suo habuisset, et aliquarum nudum titulum sibi retinisset. Deinde quomodo in hoc supposito rursus verum est, quod ostenderit magnitudinem atque jactantiam potentie suæ, etc.

Dico 5: Maritus Estheris non fuit Artaxerxes Mneumon, nec Ochus. Probatur. Eorum temporibus Mardochei ætas nequaquam convenit, utpote qui usque ad illorum tempora vivere non potuit. Etenim de Mardocheo lib. Esther, cap. II, 5, et seq. habetur: *Erat autem vir Judæus, in Susani civitate, vocabulo Mardocheus, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis, transtulerat.* Nec dicitur, quod illa verba: *Qui translatus fuerat referri possint ad Cis proavum Mardochei; eo quod Cis immediate præcedat relativum qui: Quia huic responsioni adversatur cap. XI, 4, ubi habetur de Mardocheo: Erat autem de numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor, rex Babylonis, de Jerusalem cum Jechonia rege Juda; hic enim relativum qui refertur ad ipsum Mardocheum; adeoque ipse jam natus erat, dum in Babyloniam translatus fuit Jechonias, seu rex Joachin. Jamvero a translatione Jechoniae usque ad annum duodecimum regis Artaxerxis Mneumon effluerunt anni ad minus 196; et consequenter tot annorum tunc etiam ad minus fuisset*

Mardocheus. Atqui tamen ad tantam ætatem non videtur pervenisse Mardocheus; ergo, etc.

Dices: Mardocheus dici potest translatus de Jerusalem, non in se et in propria persona, sed quatenus existens in lumbis patrum suorum; sicut I Esdræ II, 1, et II Esdræ VII, 6, dicitur Zorobabel translatus in Babylonem, et reversus in Jerusalem.

R. neg. assumpt. 1. Quia tali sensu transferri est tantum improprie transferri. Jamvero textus Scripturæ, utpote clarus, explicandus est in sensu obvio ac proprio, cum hic nihil urgeat ad eum detorquendum ad sensum quemdam improprium. 2. Scriptura videtur illa verba: *Erat autem de numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor* addidisse ad distinguendum Mardocheum a numero eorum qui tunc existebant, et tamen a Nabuchodonosore de Jerusalem in Babyloniam translati non fuerant. Atqui si Mardocheus in propria persona de Jerusalem in Babyloniam translatus non fuisset, a numero aliorum ipsum nullo modo distinxisset; quandoquidem omnes alii, etiam tantum recenter nati, quatenus existentes in lumbis patrum suorum, in Babyloniam translati fuissent; ergo, etc.

Ad illud vero exemplum, quod de Zorobabele ex libris Esdræ allegatum est, nego suppositum, quod nempe in locis citatis Zorobabel dicatur de Jerusalem translatus in Babyloniam; siquidem ibidem tantum dicit Scriptura quod Zorobabel fuerit de numero eorum qui ex captivitate, in quam a Nabuchodonosore Judæi abducti fuerant, reversi sunt in Jerusalem.

Palmare argumentum, quo refelluntur auctores qui historiam Esther vel ad Darium Nothum, Artaxerxem Mneumonem, vel Ochum, adeoque ad tempora Philippi, patris Alexandri Magni, referunt, est hoc: Hebræi non recensent inter canonicos libros omnia illa scripta quæ post Artaxerxis Longimani tempora edita sunt: librorum enim sacrorum canonem Esdras composuit, cujus vita ultra Artaxerxis Longimani tempora nullo modo produci potest. Porro de hac re Josephus lib. 1 contra Apionem, enumeratis viginti duobus libris canonicis, ita scribit: *Horum quinque sunt Moysis, qui nativitates continent, et humanæ generationis traditionem habent usque ad ejus mortem... A morte vero Moysis usque ad Artaxerxem, Persarum regem, qui fuit post Xerxem, propheta suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris. Reliqui vero quatuor hymnos in Deum, et vitæ humanæ præcepta noscuntur continere. Ab Artaxerxe vero usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio prophetarum.* Ita Josephus. Eusebius Cæsareensis in Chronico ad annum Artaxerxis Longimani trigesimum secundum, quo juxta ipsum Nehemiæ finitur historia, sic habet: *Hucusque Hebræorum divinæ Scripturæ annales temporum continent: Ea vero quæ post hæc apud eos gesta sunt, exhibemus de libris Machabæorum, et Josephi, et Africani scriptis, qui deinceps universam historiam usque ad Ro-*